

Nr. 126.

LAXITATIS ET DEXIMATIS

GRATIA ET PLENTITATIS

SILENTIIS ELECTORIS SAXONI GRATIA

ANNO MDLXXXVII A.D. CONVENTU

CAROLVS ET IBERICVS TURPES

PATERECESTIS

HERICVS CECILIANVS, PATERCVS VRED LIERENWERDENSIS
ET REPARANDUSCIVIS FUTURVS DESIGNATVS

R. M.
III.

27. TITATINIS RIBA T. D. P. B. T. A. S. T. A. S. T. A. S.

27. DOQ. RIBA T. A. S. T. A. S. T. A. S.

27. T. A. S. T. A. S.

27. T. A. S. T. A. S.

27. T. A. S. T. A. S.

27. T. A. S. T. A. S.

27. T. A. S. T. A. S.

27. T. A. S. T. A. S.

27. T. A. S. T. A. S.

27. T. A. S. T. A. S.

27. T. A. S. T. A. S.

MP

LAXITATIS ET DEBILITATIS AETIOLOGIA.

DISSENTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQVENDO

SINE PRAESIDE

QVAE EST

SERENISS. ELECTORIS SAXON. GRATIA

D. XXI. NOVEMBR. A. R. S. CIOIOPCCXCIV

H. L. Q. C.

FVELICE DEFENDET

CAROLVS FRIDERICVS TEMPEL

VITEBERGENSIS

MEDICINAE CANDIDATVS, PRAEFECTVRAE LIEBENWERDENSI
ET MVEHLBERGENSIS PHYSICVS DESIGNATVS.

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL

LAXITATIS ET DERMATITIS
AEPIOLOGIA

DISECTATIO IN ANATOMIA MEDICA

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO GRADU DOCITORII

RITE CONSECRANDO

SUPER TITULIS



DE XXII NOVEMBRII V. R. S. CINCIDOCERIA

MVCE

SARLICE DEDICANTES

CAROLAS FRIDERICAS TEMPLI

AVTHERENSIS

MEDICINE CUNDIDI/TAE, PRESTIGIARIE, PHARMACEPSIS

ET MATERIALES HISTORIAS DERIDATAS

AVTHEREGE

LITTERIS CAROLI CUNTRITIANI PRAESES

INCLVTAE

ACADEMIAE VITEBERGENSIS

RECTORI MAGNIFICO

GRATIA ANIMA TESTIMONIA

RELIQVISQVE

. . .

V I R I S
M V N I M O N M V A O T I A T
SVMME VENERABILIBVS ILLVSTRBVS IVRIVM-

CONSVLTISSIMIS EXPERIENTISSIMIS

EXCELLENTISSIMIS

O M N I V M O R D I N V M

PROFESSORIBVS ET DOCTORIBVS

FAVTORIBVS ET PATRONIS

DET SE V MERITISSIMIS RAB

INCOLVATÆ

SPECIMEN HOC ACADEMICVM

RECTORI MAGNIFICO
GRATI ANIMI TESTIMONIVM

RELIGIOSOAE

D. D. D.

V I R I
TANTORVM NOMINUM
SUMME VENERABILITAS UNIVERSITATIBVS IURARIVM
CONSULTISSIMIS EXPERIMENTISSIMIS
EXCELENTISSIMIS

OMNIAM ORDINAM

PROFESSORIBVS ET DOCTORIBVS

LAUDATIONIS ADDICTISSIMVS CVLTOR

CAROLVS FRIDERICVS TEMPVL.



LAXITATIS ET DEBILITATIS AETIOLOGIA.

§. I.

Instituti ratio:

Cogitanti mihi saepius de argomento, non plane indigno, quod in specimine academico propositum, eruditorum examini subiectetur, variae in mentem venere res, e medicina peritae, que vberimam scribendi copiam suppeditarent. Medicinam vero practicam in posterum facturus, eiusmodi argumentum potissimum eligendum putavi, in quo pertractando specimen edere possem dexteritatis qualiscunque, in obferuandis diiudicandisque morboſis corporis humani affectionibus, mihi comparatae. Perpendens igitur animo paulo attentiori

II. 2

A 2

varias,



varias, quibus pertinacius vexantur mortales, aegrotationes,
 quae, omnem medicorum operam, omniaque, vel praefrantissima
 medicamenta saepe eludentes, infanabiles fere videntur,
 non potuit non maiori attentione digna mihi videri tot homi-
 num, omniaum aetatum, omniumque fere ordinum imbecilli-
 tas, robur a maioribus acceptum in dies magis magisque eu-
 nescere, quemque facile conuincens. Vbicunque enim circum-
 tuleris oculos, nuspian fere, vt de nostris tantum loquar maio-
 ribus, robusta illa inuenies, quae Tacitus laudat, germanorum
 corpora, sed potius ingentem hominum numerum, praecipue
 ex optimatibus, miseram viuere vitam conspicies, plenam mo-
 lestias corporis infirmi. Quod robur corporis imminentum, la-
 xitatis debilitatisque nomine insignendum, omnes corporis
 functiones turbans, non tantum causa est multorum morbo-
 rum, vitaque terminum praeter naturam accelerans, causa
 primaria est appellanda, mortis, tot iuuenium puellarumque
 praematurae, sed etiam omnium morborum indolem pessime
 mutans, ipsorum curationi semper obest, speratosque a reme-
 diis effectus redardat. Quotiescumque igitur eiusmodi laxos
 atque debiles homines confexi, varia saepe frustra tentantes
 medicamenta, a robore virtute appellata, coepi egomet
 mecum cogitare de causis morbi huius nostra aetate tam late
 serpentis, cum harum accurata cognitio medicum ab empirico
 tantum distinguat, cumque iis modo tollendis sanior medici-
 na in sanandis corporibus aegrotis debeat esse occupata, atque
 inde factum est, vt mecum constituerem, speciminis acade-
 mici loco proponere aetiologyam laxitatis et debilitatis. In quo
 argumento prosequendo sic versabor, vt praemissa laxitatis et
 debilitatis notione, primum in vtriusque morbi causam proximam,
 deinde in praedispontentes inquiram, tandemque occa-
 sionales plurimas tangam.

§. II.

§. II.

Laxitatis et debilitatis notio.

Cum saepissime eundem hominem et laxitate et debilitate affectum conficiamus, factum esse videtur, ut discrimine inter utrumque morbum neglecto, variis autem utraque voce synonymica utantur significatione, sicut **GAVIUS**^{a)} qui cohaerentia, inquit, duobus modis peccat, immunitatione vel excessu: haec rigiditas illa debilitas vocatur; et alio loco:^{b)} debilitas itaque dicatur materiae solidum componentis nisus in cohesionem tam parvus, ut ferre motus nequeat, quos vitae ac sanitatis munera exigunt, quin nimis cedat. Paulo post vero:^{c)} laxum flaccidum in partibus mollibus, que vi minore ultra modum se extendi, distorqueri, aut dilatari patientur, occurtere dicit. Eadem vero debilitati tribuit, paragrapho antecedenti:^{d)} debile, dicens, vi maiori actum, aut salua cohaesione nimis distractur, recursu impar, aut ruptum plane dissolutur. Eandem quoque sententiam est secutus **BEYR**^{e)} in singulari dissertatione. Cum vero hac ratione, dum scilicet omnia ad cohesionem immunitam redeunt, vis nervorum immunita, vulgo robur vitale, a robore elasticu, viribus corporis nostri plane diuersis, haud discernatur, utrumque et laxitatis et debilitatis statum cum **LUDWIGIO**^{f)} a se inuicem distinguendum esse puto, cum vterque et sede, et ex parte symptomatibus et causis diuersus sit.

A 3
In
mortis transiit filius sua clausus annis undeviginti.
a) *GAVII institutiones Pathol. Medicinal. editae ab Ackermann, Norimb.*
1787. §. 152.

b) *IDEM* §. 157. **c)** *IDEM* §. 160. **d)** *IDEM* §. 159.

e) *I. I. BEYR diss. de laxa corporis compage, morbo nostris hominibus familiari. Lenae, 1789.*

f) *C. G. LUDWIG institut. pathol. §. 51 et 53.*



In definienda vero laxitate ad primarias quas sensibus percipere possumus, solida omnia componentes partes, fibras scilicet respiciendum est, e quarum dispositione vniuersi corporis conditio pendet. Laxitatem igitur breuiter dico elasticitatem imminutam, sive statum corporis, quo fibrae eius plus cedunt, quam saluis actionibus debent. Omnes fibrae partium solidarum molliorum sic mutari possunt, (in ossibus enim ille status efficit flexitatem) eumque statum habitum corporis laxum non male dixeris, interdum vero quedam modo partes laxitate laborant, et hinc vel vniuersalem vel particularem constituit morbum. Neque negligendum discrimen inter idopathicam, quae morbum per se constituit et symptomaticam, oriundam ex morbi aliis vehementia. Naturalis quoque a morbo est discernenda, quarum prior ad incrementum infantum tenellorum imo et foetus necessaria, ad ipsam eorum sanitatem pertinet, posterior vero actiones corporis laedit, ideoque obiectum sola constituit huius libelli. Quodsi vero vniuersum corpus laxitate vniuersali laborat, habitus eius flaccidus et succulentus reperitur, mollisque sentitur tactu, omnium muscularum motus cito lassitudinem inducit, pulsus plerumque est mollis, interdum debilis, omnesque corporis functiones cum lentore peraguntur. Hoc vero vitio non tantum corpora spongiosa verum etiam gracilia possunt laborare. In particulari laxitate singularium modo corporis partium robur elasticum praeципue imminutum appareat. Vix tamen aliqua corporis pars, praecepue viscens, diu laxitate laborare potest, aliis omnibus saluis. Exemplo esse potest primarum viarum laxitas, quae digestionem laedit, et secundum statumque accumulationi occasionem praebet. Sic quoque ligamenta utrius interdum laxa reperiuntur, et vterus procidit, genitalia viorum laxa, functionibus suis vel male vel plane non praecesse possunt. Pulmonum laxitas, eo praecepue conspicua, quod fanguis

sanguis ex pulmonibus, vasis eorum haud ruptis, per os efficitur, ultimis eorum vasibus nimium extensis, saepius obseruari potest. Haec vero sufficient ad illustrandam laxitatem particularem. Summum tantum laxitatis gradum adhuc commemorare iuvat, qui tantus esse potest, ut impressiones in corpore factae diu remaneant, antequam ad pristinum ambitum resiliunt.

Ab hoc morbo corporis statu vere differt debilitas, affectio, non omnium partium solidarum molliorum, sed solummodo neruorum. Praeter vim enim partium solidarum elasticam, vitalem vim ipsis quoque competere, a nervis eorumque fluido deriuandam, quae corpori vniuerso conciliat vigorem, quaeque varie se exserens, et irritabilitatem et sensibilitatem parit, physiologia docet. Quemadmodum vero haec neruorum vis potest augeri, quem statum vim vitalem auctam appellant, sic quoque eandem saepius imminui, observationibus innumeris confirmata docet experientia, isque ipse status corporis dicitur debilitas. Cum vero structura atque indoles neruorum nondum certis possit euinci argumentis, aliam huius mutationis notionem exhibere forte non possumus, nisi ex effectu, ex quo debilitatem languorem motus vitalis appellamus. Hanc debilitatem vero differre a laxitate supra commemorata, luculenter ex eo patere mihi videtur, quod non laxa solum corpora, verum etiam rigida eadem saepius laborant, in qua re mecum consentientem habeo LUDWIGVM,²⁾ quippe qui, videmus enim, inquit, ea corpora, in quibus nifus solidorum sat validus est, quibus ideoque non robur tantum

natu-
ri
G) C. G. LUDWIG progr. de debilitate corporum, curationem morborum impedi-
ente, Lips. 1758. pag. 7. Idem in antecedentibus laxitatis et debilita-
tis discrimen fuisse explicat.



naturale, sed rigiditatem quoque adscribere possumus, a grauissimis morbis subito, et sine eo, quod laxitas fibrarum simul inducatur, debilitari: porro etiam cognoscimus, corpora senilia et macilenta, in quibus omnia rigiditatis indicia occurunt, a fluido nerueo vel deficiente, vel minus agili, vel in influxu suo impedito, ita debilitari, ut rigiditatem eodem modo, ut laxitatem, tanquam sociam debilitatis causam, assumere queamus. Cum interdum totius corporis nervi vigore suo defituantur, interdum partis cuiusdam, cum laxitate habet id commune, vt in vniuersalem et particularem diuidenda sit. Quemadmodum prior, omnes neruorum functiones plus minusve turbans, ex actionibus vitalibus laevis, pulsu putre debili, molli, paruo ac vacuo potissimum cognoscitur; sic posterior, neruorum vim partium singularium labefactans, alii signis simul sumitis, vitali vi iannuita partis se prodit. Eiusmodi itaque pars externa, vel physico vel mechanico stimulo irritata, neque rubet neque tumer, et si quod tensuum instrumentum est debilitatum, impressioe factae vel imperfecte vel plane non cum animo communicantur. Oculi ergo, aures, integumenta communia, lingua, prae reliquis corporis partibus eiusmodi debilitate laborare possunt. Eadem debilitas, cum vel continuo praefens sit, a parentibus accepta sive per causas occasionales sensim generata, vel alias morbos sive comitetur sive sequatur, in idiopathicam et symptomaticam est diuidenda.

§. III.

Laxitatis et debilitatis causa proxima.

Cum in eruendis diiudicandisque morborum causis plurimi medicorum celeberrimorum ordinem sequantur, quo eas diuidunt in proximas, praedispontentes et occasioales, eadem ratione

ratione causas laxitatis et debilitatis diuidere, eodemque ordine pertractare, optimum mihi visum est. Primum itaque de causa proxima utriusque morbi. Causa, cum sit vis, quae effectum producere potest, morbi causam quoque in genere definiendam esse existimo per vim, quae morbosam mutationem in corpore efficere potest. Proxima itaque causa est ea, quae immediate morbi existentiam parit, tam arcte cum eo coniuncta, vt ea absente idem morbus existere non possit. Quanquam vero haec in sanandis morbis tanti est momenti medico, cum ea sublata morbus quoque cessat, vt eam in omnibus morbis praecipue eruendam esse, omnes certe medici uno ore contendant, tam occulta tamen saepe est arque abscondita, in intimis naturae recessibus latens, vt de multorum morborum causa proxima adhuc sub iudice lis sit. Idem fere valet in laxitatem et debilitatem causa proxima explicanda. Quemadmodum vero in laxitate definienda ad primarias solidorum partes, quatenus sensu eorum compositionem attingere possumus, fibras scilicet est respiciendum; ita in eruenda causa eius proxima ad ipsas partes fibrarum elementares redeundum est. Cum ergo laxitatem statum appellauerim, quo fibrae corporis plus cedunt, quam debent, principium, ipsarum cohaesionem et elasticitatem augens deesse, necesse est. Causa itaque laxitatis proxima mihi videtur esse defectus elementi terrei, glutine interposito iuncti, cuius locum occupant fluidae partes, et sic cohaesio necessario imminuitur.

In maiores vero incurrimus difficultates, si quid de causa proxima debilitatis, non dicam cerri, sed probabilis modo affirmare volumus. Cum tamen omnes nervorum functiones, consentientibus celeberrimus medicis, a fluido ipsius proprio, pendeant, debilitatis proxima causa vel in defectu vel in motu impedito fluidi nervi ponenda videtur. Quodsi ex analogia

B

aliorum



aliorum humorum corporis concludere liceret, mala forte mixtio sanguinis fluidi nervi, ratione forte haud plane improbabili pro causa proxima debilitatis assumenda esset, cui sententiae praecipue fauere videtur subitanea virium vitae imminutio, a variis miasmatibus oriunda.

§. IV.

Causae prae disponentes laxitatis et debilitatis.

Causae prae disponentes, remotae quoque internae dictae, in ipso corpore nostro latent, et illud aptum reddunt ad morbos. Caularum itaque prae disponentium laxitatis et debilitatis primaria fere, in primis staminibus a parentibus acceptis quaerenda est. Quicquid enim de morbis haereditaris statuamus, experientia tamen et rationes fatis probabiles docent, parentes infirmos non, nisi infirmos infantes generare. Ipsa enim materia nutriendis, quam mater infirma praebet foetui, impedita est, quae ipsum in utero bene alere possit, idemque valet de spermate patris imbecillis, ouulum primis diebus sufficiente. Humores porro nimis tenues, temperamento praecipue sanguineo proprii, ipsaque lympha iusto tenuior, variaeque corporis conditiones, quae bonam nutritionem impedirent, difficile saepius indagandae, v. c. obstructions glandularum mesentericarum, in infantibus saepius obuiarum, aliisque, virtusque morbi causis prae disponentibus annumerandae sunt. Ipsum quoque corporis incrementum nimis acceleratum ad laxitatem aquae ac debilitatem disponit.⁴⁾ Tantam enim

naturam

h) c. g. LUDWIG diff. de celeri corporum incremento, causa debilitatis in morbis. Lips. 1760.

natura in elongandis fibris facit impensam succorum ad nutrientium aptorum, ut non habeat, vnde et robori vitali et elasticu[m] bene prospiciat. Neque vero solum humorum tenuitas atque defectus, verum etiam abundantia eorum et spissitudo, in adulta praecipue aetate ad laxitatem et debilitatem disponunt. Sanguinis igitur exsuperantia, plethora vera appellata, nimium vala extendendo, humorumque spissa indoles, caco-chymia spissa vulgo dicta, materiae nutrientis bonam præparationem et appositionem impediendo, ad vitrumque morbum sensim corpus præparant. Praecipue vero lymphæ nutritiae nimia libertas, quæ pinguedinem obesitatemque¹⁾ procreat, quam maxime infesta est. Fibrarum enim interstitia, per ipsas functiones corporis facta, quibus reparandis nutritionis opus consistit, non lympha tunc replentur, in fibrae naturam, ipsius corporis viribus mutandam, sed pinguedine modo resarcuntur, vnde compages earum maxime laxa sensim redditur. Cum causæ remotæ externæ, saepius agendo, dispositionem quandam in corpore efficere possint, adeoque in internas mutant, nonnulli medici externas quasdam causas ad praedispontentes referunt, quorūm praecipue pertinet educatio tenellorum infantum mollis. Ordinem vero supra constitutum secuturus, omnes causas externas occasionalibus annumero.

§. V.

Causæ occasio[n]ales laxitatis.

Cum causæ morborum occasio[n]ales siue remotæ externæ omnes eae sint appellandæ, quæ externe in corpus

B 2 agendo,

1) C. G. LUDWIG progr. de celeri obesitate, causa debilitatis in morbis.
Lipf. 1768.

❧ ♚ ❧

agenido, causis praedisponentibus non modo originem praebent, sed etiam, isdem accidentes, causam proximam excitant, adeoque morbo semper praecedunt, facile patet, tantum earum agmen fore, quae ad laxitatem et debilitatem sensim corpus ducere posunt, ut omnes ac singulas allegare et yberius exponere, vix limites huius libelli patientur. Omnes enim res, externe corpori applicatae, vel in illud ingestae, mutationesque variae, potentia praeditae, solidis fluidisque partibus eiusmodi conditionem conciliandi, actiones corporis aliquo tantum modo laudentem, huc referri debent. Gratissimi autem sunt momenti eadem, medicis aequae ac omnibus, qui valetudinem suam curae cordique habent, propterea, quod non solum praedisponentes causae, vel plane non generantur, vel iam in corpore absconditae, inertes latent, ipsaque causa proxima excitari plane nequit, iis remotis, sed, quod certam saepissime in potestate humana posita, haud raro cuitari possunt. Ut vero ordine quodam hanc causarum occasionalium gregem proponere possim, in classes quasdam eas dividere luet. Quanquam vero omnes causae occasionales, quae laxitati fauent, ad debilitatem quoque sensim dueunt, et vice versa, aliae tamen sunt, quae laxitatem praecepit, aliae, quae debilitatem ab initio procreant, sigillatim igitur considerandae. Primo igitur, quae laxitati occasionem praebeant, videamus. Harum vero primo loco ponendae sunt, omnes eae, quibus bona digestio et nutritio impeditur. Cum vero in nutriendo corpore eo respiciendum sit, ut non modo per actiones amissum restituatur, sed etiam, ut crescenti corpori plus praebeat, quam per ipsas corporis actiones consumatum et dissipatum fuit, facile patet, defectum sufficientis copiae alimentorum, cuiilibet corpori, praecepit vero illi, cuius incrementum nondum est absolutum, sensim laxitatem fibrarum inducere. Male ergo consulunt parentes infantibus, qui omnia ex suo viuendi

viuendi genere ponderantes; tam parcam ipmis praebent alimoniā; quam ipsi propter ventriculi forte infirmitatem, ferre possunt. Quemadmodum vero inopia alimentorum, ita quoque abutum ciborum ac potulentorum, et ratione quantitatis et qualitatis hue referre debemus. Primit autem viis adhuc saluis, nimia ciborum potulentorumque, praeципue valde nutrientium, copia, pinguedinem, et cacoxyiam obefam efficit, causam laxitatis praedisponentem. Plerumque tamen, qui ventriculum cibis potulentisque, praeincipue calidis aquosis, nimis referunt, ipsum extendunt atque relaxant, et digestio humores inertes reddunt. Laesa sic digestione, nutritio quoque male succedit, et tandem totum corpus corrumpitur. Optimus denique, et iusta copia assuntus victus, bene corpus nutrit nequit, nisi per eius motum muscularem omnia organa sollicitantur, quo cruda elaborentur, superflua eliminantur, utiliaque retenta apponantur. Quantum ergo ex vita otiosa, sedentaria, vniuersi corporis compages relaxetur, ex dictis non modo apparere arbitror, sed etiam experientia quotidiana, observationibusque clarissimorum medicorum confirmatur. Plerumque etiam vitae otiosae adiueti, somno nuiuum indulgent, ab ipsis languentibus viribus ad eum inuitati. At, vehementer falluntur, qui sperant, fore, ut sic nouas vires colligant. Somnus enim nimium protractus, partim omnes fibras relaxat, variorumque humorū accumulationi, ipsisque obelitati occasionem praebet, partim humores insipiat, ideoque RICHTER⁴⁾ iudice totum corpus tridum, laxum, iners, ponderosum, imo apoplexie obnoxium reddit. Cum tamen vitam hanc otiosam plura plerumque vitia comitantur,

B 3

gene-

4) G. O. RICHTERI proluf. de salutarii somni mensura et tempore, in Opus. eius, Tom. III. p. 239.

❧ ❧ ❧

generatim in vita molli¹⁾) laxitatis causam praecipuam ac fere principem inueniri, contendere possumus. Huic enim dediti, omnes corporis et animi labores intentionesque sedulo fugientes, corpusque conclauium, vestimentorum stragulorumque calore nimio defatigantes, in eo quoque peccant, quod alimentis nimium curiose electis, eueptis quidem, minus tamen vires digestionis exercentibus, ventriculi totiusque tandem corporis robur imminunt ac perdunt. Tantum enim abest, ut vires corporis nostri, raro vel nunquam intensi, maiorem acquirant vigorem, ut potius sub perpetua quiete satiscant. Quodsi vero hoc vitae genus adulorum corpora citius tardiusue tantopere relaxat, maius certe detrimentum infantes experientur ex molli educatione. Quemadmodum enim omnes diaetae errores grauiores plus nocent infanti tenello, quam adulto homini; ita quoque mollem educationem in praecipuis ponendam esse causis laxitatis istius universalis, ex iis hominibus patet, qui a parvula seueriori disciplina cultaque vitae aspero usq[ue] sunt, et plerumque robusto gaudent corpore. Eandem vero vel indies magis auctum iri, tam diu verendum est, quam parentes in tramite coepito infantes educandi, per haereditatem quasi accepto, pergere, non dubitabant. Cum calor omnia corpora extendat, ipsum quoque corpus nostrum extendit, volumen non modo solidarum, sed etiam fluidarum partium augens, quae ipsae, fibras calore quasi emollitas, relaxant. Praeter conclauium ergo, stragulorum vestiumque calorem, iam commemoratum, silentio quoque non est praeter eundus calor aeris atmosphaericci, quippe qui valde auctus, non solum dictos modo caloris effectus edit, sed etiam praecipue ventri-

❧ ❧ ❧

1) C. G. LUDWIG progr. de vita molli, causa debilitatis in morbis, Lips.
1761.

ventriculi robur infringendo; sudoribusque corpus emacando, maxime laxitati fauet. Quod idem experientia probat, aestate enim summa lente ventriculus assunta plerumque coquit alimenta. Quo magis denique omnis abdominis violenta compressio, motum peristalticum intestinorum impediens, digestionem et nutritionem turbat, eo magis tam eiusmodi corporis situs, quo abdominis viscera valde comprimuntur, quam omne vestimentorum genus, quo cavitas abdominalis arctius constringitur, quorum praecipue pertinent feminarum thoraces, ad generandam laxitatem haud exiguam conferent symbolam.

Altera causarum occasionalium, laxitati fauentium classis in iactura humorum laudabilium nimia, posita est, quos ab excrementitiis sive illaudabilibus discernunt medici, eosque subintelligunt, qui in corporis vilitatem adhuc retinendi atque conuertendi sunt. Maximi momenti sanguinem hic esse, facile concedet, qui perpendit, quantae sint in vniuersa oeconomia animali sanguinis partes, e quo omnes solidas et fluidas partes reparari, cuiusque ideo qualitate et quantitate omnium reliquorum humorum aequae ac solidorum, conditionem pendere, indefessum physiologorum studium indagauit. Istius itaque humoris materiam ipsam nutritiam perpetuo vehentis, iacturam immoderatam quamlibet, haemorrhagiae nomine vulgo insignitam, laxitati occasionem praebere, ex dictis satis patere arbitror. Eiusmodi sanguinis effluvia nimium aucta, sicut natura ipsa interdum excitat, prudentis medici opera nonnunquam coercenda; quod fieri videmus in fluxu menstruo, haemorrhoidal, haemoptosi, ipsisque haemorrhagiis sic dictis criticis; ita artificiois sanguinis evacuationibus, venae-sectione puta prophylactica, haud raro ex sola consuetudine instituta, insignis huius humoris vitalis copia imprudenter saepe



saepe profunditur. Huc statim supponendae sunt aliae, quae humores bonos magna in copia eripiunt corpori, causae morbifcae, grauiditas scilicet, cum ea coniunctum foetum excludendi negotium, et lactatio. Insignem materiae nutritientis iacturam, in foetus incrementum impendendae, immoderatumque cum parti saepius coniunctum sanguinis effluvium, ad causas referri debere occasionalis laxitatis efficacissimas, qui dubiter, profecto reperiam neminem. Idem valet de lactatione. Salutaris profecto effectus in vniuersam corporis occisioniam ex ea redundant, expositus quondam ab Exper. NVERNS BERGERO ^{m)} in singularibus dissertationibus. Attamen, quantum humorum laudabilium perdatur, ea diutius protracta, teminæ interdum, præcipue teneriores, tristi probant experientia, quae nimium matris officio obtemperantes, tibi non nunquam consumuntur, ex nimia humorum lymphaticorum iactura oriunda. Præcipuum quoque occupat locum in causis laxitatis occasionalibus venerisabusus, siue ratione a natura ipsa praescripta quasi, siue praeter ipsam exerceatur. Quemadmodum enim masturbationes florem iuuentutis vtriusque sexus saepius iam corrupisse, viri testantur de educatione liberum meritissimi; ita quoque omnem frequentiorem amplexum vtrumque sexum, præcipue tamen masculinum, exhaustire, certum est, profusa nimia spermatis copia, liquoris scilicet, ex mera fere lympha compositi, immo ipso forte fluido nervo imbuti. Quod ipsum pulchre VIRGILIVS ⁿ⁾ confirmat, canens:

*Sed non illa magis vires industria firmat,
Quam Venerem et coeci stimulos auertere amoris.*

^{m)} C. E. NÜRNBERGERI Excell. praeceptoris optimi disserit. II. de iusta foeminarum lactatione, magno sanitatis praefidio. Viteb. 1786—87.

ⁿ⁾ VIRGIL. Georg. III. 209.

Experientia quoque satis superque docemur, homines, veneri nimium litantes, corpore non modo, sed et animo saepius hebetare. Neque silentio praeterunda est excretio saliuæ, humoris, multum lymphæ continentis, cuius inconsultam et temerariam abusu sumi tabaci excitatam excretionem haud impune ferunt tot iuuenes immaturi. In ea enim actate, in qua supremam quasi manum imponit natura, operi inchoato perficiendo, omnes, quos corpus comparare potest, humores lymphatici, ad corpus firmandum sunt impendendi, neque alia ratione, nisi motu et labore, modico tamen, consumendi. Interdum quoque medicamenta, perperam praecipue applicata, causam constituant laxitatem. Neque vero loquor de medicina, quae, fibrae corporis rigidæ emollienda gratia adhibita, sanitatem ipsius restaurat, sed de ea, quae morbosam relinquit laxitatem. Huc praecipue pertinent medicamenta attenuantia, resolutoria potentiora et euacuantia primarum et secundarum viarum. Priora, sicut iustam humorum cohaesione atque densitatem imminuendo, causam praedispontentem fibrae laxae procreant, tenuitatem nempe humorum morbosam, imo et stimulo suo aucto ipsa solida nimium afficiunt; ita posteriora, praeter alia incommoda, lymphaticos humores ex intimis corporis recessibus elicunt, atque per colatoria consueta expellunt. Huc ergo praecipue vomitoria, euacuantia per alum^o) et sudorifera pertinent, ad quorum priora saepius temere confugiendo, multi ab initio primas non modo vias, officinam omnis materie nutritientis primariam, repetito stimulo defatigant, sed etiam multis humoribus ipsam lympham

^{o) Cf. Exper. G. A. LANGGVTH b. diff. de purgatione aliis frequentiori, veneno magis, quam panacea. Viteb. 1731. et libellum a me ipso editum, leviter abusa saluum quorundam medium. Viteb. 1739.}

lympham continentibus, inconsulto totum corpus spoliant. Omne quoque genus motus immoderati, digestionis et nutritions negotium laedendo, sudoribusque vehementioribus provocatis laxitati posse occasionem praebere, experientia ipsa confirmatur, idque de omni labore intenso, praeципue vero de motu corporis nimis exaestuante valet. Hac ratione multos non tam equitando, quam praeincipue saltando, corporis valetudinem funditus euertere videmus. Dici profecto nequit, quantum concitatio nostris temporibus, saltatio, ad corporis robur immundum conferat, cum praeter summa in vasorum ab humoribus turgentibus excitatam extensionem saltatores quoque profundantur vehementi isto motu, optimos humores corpori eripientes. Ad communem vero laxitatem tot hominum efficiendam et augendam, prae omnibus fere saltationi multum esse tribuendum, ex eo praeincipue patet, quod puellae, genitrices futurae sibolis, in prima Iaepi iuuentute corporis vires saltando ita frangunt, ut, nisi praematura morte, tamen infirmo non modo corpore poenas luant, voluptatis, cui in iuuentute nimium te dedere, sed etiam eo, quod infirmam prolem se genuisse doleant. Absit autem, ut potius sexum minus indulgere huic vitio affirmem, ut potius eundem plus fere, sexu leuiori, vires corporis saltando perfundare contendam, adeoque et ipsum accusandum esse sibolis infirmi causam. Agmen denique causarum laxitatis occasionalium claudant morbi. Omnes fere morbi vniuersales laxitatem efficiunt fibrarum, ratione vehementiae, qua morbus oppugnat corpus, et ratione conditionis corporis ipsius, maiorem minoremve. Quod in plerisque iam ideo accidat, necesse est, quod digestionis organa laesa, parum officio suo possunt satisfacere. Citerius vere corpus emacerant morbi, quorum symptomata praecipua in evacuatione aqua materiae, vel ad nutritendum ulterius elaborandae, vel lymphae ipsius, posita

sita sunt, quorum pertinet diarrhoea, dysenteria, cholera, fluxus hepaticus, lienteria et coeliaca passio, diabetes et alii. Coctionis autem labor, evacuationesque criticae, sive crisi morbus finiatur sive lyse, magnam semper partem humorum laudabilium corpori eripiunt, unde sit, ut morbos acutos praecipue, tanta sequatur totius corporis imbecillitas.

§. VII.

Cause occasionales debilitatis.

Propter intimum, inter omnes corporis functiones consensum, omnes cause laxitatis occasionales, debilitati quoque sensim sensimque occasione praebent, et quaedam earum se-
re simul vitrumque morbum generare videntur. Praecipue ex iis repetendae sunt eae, quae humores bonos e corpore ra-
piunt, ut, motus immoderatus, veneris abusus, quibus praecipue accidunt vigiliae nimis protractae, ipsaque senectus. Quemadmodum denique vitam mollem ad praecipuas laxitatis causas referendam esse, supra commemorauis ita eadem quo-
que ad debilitatem et generandam et augendam multum con-
fesse, affirmari potest. Sunt vero aliae cause morbificae, in
nervorum sistema praecipuum vim exferentes, quae, quam-
quam sicut priores, ad laxitatem tandem ducere possunt; pri-
mario tamen nervorum vim exertunt, debilitatisque ergo
cause occasionales appellandae, et in physicas atque morales
disperiendi sunt. Ad priores referendae sunt omnes res,
quae nervos vel vehementi vel diu continuato afficiunt fili-
mulo, sive grato ipsis sive ingratu. Omnia igitur, quae do-
lorem excitant tam vehementem, ut psalmi inde oriuntur, ner-
vos debilitant, ipsique psalmi causam debilitatis constituant,
quod probat morbus caducus, cuius paroxysmus insignem ple-
si

rumque relinquit languorem neruorum. Grato quoque modo neruos vehementius concusso, debilitari, ex eo non tantum patere videtur, quod omnes corporis nostri vires diu vel vehementer intensae, tandem officio suo satisfacere cessant, verum etiam praeципue ex languore, quem debiles et praeincipue venere exhausti, quemque statim concubitum subsequi, queruntur. Varia quoque sunt et medicamenta et alimenta, quae neruos stimulando debilitant. Ex ciborum copia sicut calefacentia ipsaque aromata illa calida, cibis saepius iuncta, nervis valde inimica sunt; ita potulentorum spirituorum, egregia quidem neruos excitandi virtute praeditorum, abusum, valde iis obesse, debilitatis neruorum certissima indicia, abusum hunc sequentia, trepidatio non solum artuum, functionesque variae, praeincipue primarum viarum laesae, verum etiam omnes fere sensus externi hebescentes, in aprico pondati. Quemadmodum denique venena varia, non tam acria, quam praeincipue narcotica, ita neruos hebatant, et plane fere destruant, ut ad pristinum vigorem redigi saepe nulla arte possint; ita quoque medicamenta excitantia aequa, ac anodynæ, intempestivæ adhibita, simili ratione nocere possunt. Prorsus singulari quoque vi, neruos debilitandi, misalnata varia, siue materiae morbosae, pollut. Principem inter eas obtinet locum acrimonia putrida, quippe quae clam et subdole agendo, symptomata excitat, leuioris morbi speciem prae se ferentia, at, neruorum robur cito ita deprimit, ut ab efficacissimi modo remediis, et putridum remouentibus, et vim vitalem reuocantibus, salus sperari possit. Ab hac vero debilitate differt languor sic dictus febrilis, paroxysmos febribus praecedens, qui solum a spasmis minimorum vasorum deritandus videtur.

Morales denique restant causae debilitatis occasio[n]ales adferendae. In his primo loco ponenda est nimia virium animi
cupiditate. in

in studiis prosequendis intentio.^{p)} Singularibus profecto debilitatis symptomatibus, qui se perpetuo in literas abdunt, exccruiantur, ex sola vita sedentaria profecto non deducendis, quod vel probant artifices, vitae sedentariae pariter saepe dediti, ac eruditii, rarius tamen hypochondriaco malo, morbo eruditorum vulgari, laborantes. Ipsum fluidum nerueum eiusmodi indefessos et continuis animi laboribus maiori in copia consumi videtur, quam corpus reparare potest. Neque vero solum sic excitata debilitas omnes actiones corporis laedit, sed etiam ipsam tandem mente obtundere, imo melancholie originem praebere potest.^{q)} Quodsi vero perseverantibus animi meditationibus adulti tantopere elangueantur, maiori profecto cum periculo infantes, quorum nervi multo sunt teneriores, ad discendum concitantur. Neque enim dubium nubi videtur, multos eruditos primum hypochondriaci mali fundamentum, causasque eius praedispontentes, nimium descendo defatigati a paeceptoribus, in pueritiae annis sibi contraxisse.

Quemadmodum vero nimium studium; ita quoque animi commotiones vehementiores omnes, diu continuatae siue repetitis vicibus agentes, maxime tamen ingratae, mira profecto efficacia omnem neruorum vigorem extinguunt. Quod etiam SANCTORIVS, monente RICHTERO,^{r)} egregie confirmat, quippe qui *corpus*, inquit, *animo commoto*, quietens,

C 3 plus

p) C. G. LUDWIG progr. de nimia animi desfatigatione, causa debilitatis in morbis. Lips. 1762.

q) RICHTERI dissert. de doctarum lucubrationum noxis, in Opuscul. eius, Vol. II. p. 188.

r) RICHTERVS in excitata iam dissent. de somni salutaris mensura et tempore, in Op. Vol. III. p. 243.

plus perspirare et perdere, quam corpus, animo quiescente commotum, eiusque rei rationes tam egregie ipse RICHTERVS exponit, ut eiusdem verba hic repetere non dubitem. Seorsim enim inquit, de magnis animi commotionibus probe tenendum est, plus eos fatigare, quam magnos corporis motus. Hi enim nervis certorum partium in opere constitutarum, illae toti neruorum generi vim inferunt, hi inter consumtiones praeparant humores ad nouam spirituum a somno genefi, illae consumunt tantum, non restituunt; hi abrupti ex arbitrio possunt, ad vires quiete resocillandas, illae pergunt perenni stimulo nervos pungere, ipsumque somnum, ut medetam morbi prohibere. Ex omnibus tamen animi commotionibus tristitia potissimum et moeror prorsus singulari pollet vi, ventriculi vires infringendi, appetitum prosternendi, et sic digestionem tantum perlaedandi, vt vniuersum corpus prava nutritione corruptum, continuo moerore adflictum, lenta tandem morte consumatur.

Quemadmodum vero causae laxitatis et debilitatis occasio-
nales, hucusque recentitae, nunquam forte omnes simul unum
hominem laeserunt; ita quoque nunquam vni earum soli, sed
pluribus simul, coniunctis viribus corpus laedentibus, et laxi-
tatis et debilitatis, praeceps vniuersalis, tribuenda est origo.



Blld 2730
\$ 40



h3



U

LAXITATIS ET DEBILITATIS AETIOLOGIA.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQVENDO

SINE PRAESIDE

QVAE EST

SERENISS. ELECTORIS SAXON. GRATIA

D. XXI. NOVEMBR. A. R. S. CIOIOCCXCIV

H. L. Q. C.

FVLLICE DEFENDET

CAROLVS FRIDERICVS TEMPEL

VITEBERGENSIS

MEDICINAE CANDIDATVS, PRAEFECTVRAE LIEBENWERDENSIS
ET MVEHLBERGENSIS PHYSICVS DESIGNATVS.

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

